
 SECTIO XIV.

DE

G V S T V.

§. 234.

Sapores lingua percipiuntur et quodammodo etiam vicinis internis oris partibus cutaneis; palati praesertim medii, faucium, buccarum, imo et labiorum; attamen his omnibus non nisi acrium et grauter amarorum sensus aliquis est a).

§. 235.

Princeps vero gustus instrumentum lingua est b), idemque maxime agile, obsequiosum, mutabilis formae; mirabilis texturae carneae, aliquatenus cordis texturae comparandae.

§. 236.

a) GREW'S anatomy of plants p. 284 sq.

PETR. LUCHTMANS de saporibus et gustu LB. 1758.

4. p. 58 sqq.

b) MALPIGHII et FRACASSATI epistolae de lingua. Bonon. 1665. 12.

§. 236.

Tegitur autem inuolucris ad cutis similitudinem accedentibus: epithelio nempe, quod ipsi cuticulae loco est, reticulo Malpighiano *c*), et papilloso denique membrana quae structura sua parum a corio abhorret.

§. 237.

In eo maxime differt, quod epithelium, loco cutanei vnguinis, muco illiniatur et humectetur, ex coeco foramine Meibomiano *d*) et reliqua expansione glandulosa Morgagnii *e*) oriundo; tum vero et papillarum conformatione, quas vulgo in petiolatas, obtusas et conicas diuidunt *f*), quarum istae paucissimae lunata quasi serie
ad

c) In canibus quibusque verficoloribus plerumque etiam linguam et fauces reticulo variegato conspicua vidi.

d) cf. JUST. SCHRADER *observat. et histor. é HARVAEI*
L. de generat. animal. p. 186.

e) MORGAGNII *adversar. anat. prima tab. I.*

f) RUYSCH *thes. anat. I. tab. IV. fig. 6.*

B. S. ALBINI *annotat. acad. L. I. tab. I. fig. 6-11.*

ad radicem linguae positae sunt, reliquae vero variis magnitudinis gradibus promiscue linguae tergum, et maxime margines et apicem, vbi nempe acutissime gustat, obfident g).

§. 238.

Et haec quidem papillas adeunt extrema filamenta nerui lingualis quinti paris h), quorum ergo adminiculo proxime nos gustare probabile est.

Nonum enim par i) et qui itidem linguam adit ramus octavi k), magis motibus linguae multifariis ad manducandum, deglutiendum, loquendum &c. inferuire videntur.

§. 239.

g) cf. HALLERI egregia linguae hominis vini descriptio in *Dictionn. encycloped.* ed. Ebrodun. Vol. XXII. pag. 28.

h) Jo. FR. MECKEL de quinto pare nervorum cerebri. Gotting. 1748. 4. pag. 97. fig. I. n. 80.

i) Jo. F. W. BÖHMER de nono pare nervorum cerebri. Gotting. 1777. 4.

k) v. HALLER icon. anatom. fasc. II. tab. I. lit. g.
MONRO on the nervous system tab. XXVI. *

§. 239.

Oportet autem, vt lingua rite sapiat, eandem humidam, sapienda autem liquida esse et salibus solutis scatere ¹⁾; quod si enim aut ipsa lingua aut res ipsi admotae siccae sunt, tactu quidem eas explorare potest, quo in vniuersum exquisitissimo gaudet, non vero sapere tunc dicenda est.

Quando vero acutissime sapit, papillae apicem linguae eiusque margines obsidentes reuera erigi aliquantisper videntur.

1) *BELLINI gustus organum nouissime deprehensum. Bonon. 1665. 12.*